

Döllinger

12210

12210



416 254 393 700 18



Journal of the History

F606

Journal of the History  
of the United States

Journal of the History

DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
ADMINISTRATIONE  
BONORUM ECCLESIASTICORUM.

---

UNA CUM  
SELECTIS THESISIBUS,

QUAS

PRAESIDE

CAROLO WACHTER

SI. S. THEOLOGIAE DOCTORE JUR. ECCL. ET HIST. ECCL. PROFESSORE P. O.


IN ALMA FRIDERICIANA ELVACENSI

PUBLICAE DEFENDENT

DIE SEPT. ANN. MDCCCXVI.

D. TIBERIUS KELLER *Dietenheimensis*,

D. ANDREAS KOLB *ex urbe Wila.*



---

TYPIS JOANN. GEORG. RITTER, UNIVERS. TYPOGRAPHI.

DISSERTATION

DE

# ADMINISTRATIO

## HONORUM ECCLIASTICORUM

RELECTIS THESIBUS

1795

IN

CAROLO WAGNER


IN ACADEMIA PRAEDICANTIA NIKONIA

PUBLICA REPERT


DIE SEPT. ANNI MDCCXCVI

M. THOMAS KELLER

D. ANDREAS KOLD



Typis IOANN. GEORG. LITTE, UNIVERS. TIPOGRAPHI



**P R A E F A T I O.**

---

Cum hac praeprimis tempestate quaestio de administratione bonorum ecclesiasticorum ubivis locorum ventilatur quam solertissime: haud injucundum fore existimavi, si, qualis ratio in curandis bonis ecclesiasticis ab ipsis ecclesiae incunabulis ad haec usque nostra tempora obtinuerit, ex documentis publicis, conciliorum scilicet decretis atque summorum Imperantium placitis paucis pagellis sub unum quasi obtutum sisterem. Cujus enim non interest, nosse vel rememinsse, quomodo sub episcoporum vigilantissima cura bona ecclesiastica coaluerint, incrementa ceperint, et per

diversas epochas inter mille pericula ad hunc usque diem administrata conservataque fuerint? Sed et quem non delectetur legere vel relegere, quamam via beneficia ecclesiastica pedetentim ad praesentem indolem eluctata fuerint? Quis non grato recolat animo piissimos principum ac praesulum ecclesiae conatus, quibus ecclesiarum viduarum bona contra cupiditatem assultusque potentum sarta tecta que conservare moliebantur?

Verum enim vero cum in praesenti elucubratione tantum, quid factum sit, exponitur, haud dubie autem nemo non a nobis sciscitaturus sit, quae circa hanc rem sint sensa nostra; adjectis thesibus sententiam nostram publice defendendam explicare haud haesitavimus, promti parati que ad palinodiam canendam, si de contrario convicti fuerimus.



§. 1.

*Bona nascentis ecclesiae ab Apostolis et diaconis administrabantur.*

Quam primum religionis Christianae cultores Hierosolymis in societatem coaluere, ut sibi invicem mutuo auxilio essent, bona contulisse, eorumque administrationem primitus apostolis commissam ex post diaconis delegatam fuisse Acta apostolorum II. 44 et 45. tam aperte eloquuntur, ut nihil addendum censeam.

§. 2.

*In alijs ecclesijs ab episcopis.*

Aucto fideliū numero et collectis in variis provinciis credentium coetibus, singuli res proprias habere coeperunt, ex quibus ad mentem Christi et Pauli ministros sustentarent, et sibi mutuo suppetias ferrent. Epist. I. ad Cor. IX, XVI. II. Cor. VIII et IX. id aperte innuunt. — Bona autem ista ex spontaneis oblationibus, quae diversi generis victualia complectebantur, constitisse, ex canonibus apostolorum <sup>1)</sup> facile eruitur. *Canon equidem II.* prohibet, „ne ali-  
„quid excepto frumento et uva opportuno tempore nec non oleo in  
„candelabrum et incensum oblationis tempore admoveatur ad al-  
„tare;” ast statim canone IV. adjicitur: „Omnium aliorum pomorum

<sup>1)</sup> Licet omnino constet, *canones apostolorum* nequaquam ab apostolis esse perfectos; insignia tamen antiquitatis documenta in illis contineri, critici conveniunt omnes.

„primitiae episcopo et presbyteris domum mittuntor, non super „altare.” Additur denique: „Manifestum est autem, quod episcopus „et presbyteri inter diaconos et reliquos clericos eos dividant.”

### §. 3.

*Ad quos fines impendenda sint, exponit Tertullianus.*

Non solum victualia sed et pecunias jam primis ecclesiae secularis in *concham* seu *corbonam* (ut vocant) prima saltem cujusvis mensis dominica missas fuisse certum est. Qua de re testem *Tertullianum* *Apol. c. 39.* allegasse sufficiat: „Etiam si quod arcae genus est, „non de honoraria summa, quasi redemptae religionis congregatur. „Modicam quisque stipem menstrua die vel cum velit, si modo „velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed „sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non „epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humanisque, et pueris et puellis re ac parentibus „destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et siqui in „metallis, et siqui in insulis vel in custodiis duntaxat ex causa „Dei sectae, alumni confessionis suae fiant. Sed ejusmodi vel „maxima dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam, „vide, inquit, ut se invicem diligunt.”

### §. 4.

*Ratio dispartendi b. e. inter clericos eruitur ex S. Cypriano.*

Quanam porro ratione res ecclesiae inter clericos sint dividendae, docet *S. Cyprianus* in suis *epistolis Lib. IV. Ep. 5.* Postquam enim celebrasset confessorum *Celerini* et *Aurelii* constantiam, addit: „Lectores interim constitui sciatis, quia oportebat lucernam „super caudalabrum poni. Ceterum presbyterii honorem designasse

„nos illis jam sciatis, ut et sportulis <sup>1)</sup> iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnae <sup>2)</sup> aequatis quantitibus partiantur.” Ex quo apparet, presbyteros uberores prae reliquis clericis retulisse sportulas; ast si clericus inferior zelo et industria fuerit insignis, eum in recipiendis sportulis et mensurnis aequiparatum fuisse presbyteris dispensante episcopo.

### §. 5.

*Jam III. seculo ecclesia bona immobilia possedit.*

Nec ex solis oblationibus et collectis bona ecclesiastica congesta, sed saltem seculo III. fundos collatos fuisse, ex quorum fructibus pauperes juvantur, quidni et clerici, quorum cum pauperibus ferme semper pars extiterat, alerentur, haud spernenda evincunt facta. Testem habemus *Aelium Lampridium* in *Alexandro Severo*. Cum enim Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum debere, rescripsit Alexander Severus: melius esse, ut quomocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. Refert porro *Eusebius H. E. lib. IX. cap. X.* constitutionem *C. Valerii Maximi*, quae sic sonat: „Imperator Caesar Cajus Valerius Maximus Germanicus, Pius, Felix, Invictus, Augustus — — — ut indulgentia nostra prolixior appa-

<sup>1)</sup> Mos fuit penes Romanos, ut potentiores suis clientibus ad limina sua salutandi gratia (um aufzurufen) accedentibus coenam vel prandium in sportulis seu panariolis porrigerent. Tales *sportulae* dicuntur a *sporta*, id est vase, quod fit de minoribus virgis, in quo ponebantur illa munuscula. Dein latius porrecta est sportularum appellatio, ut etiam *salaria*, *congiaria*, *diaria* et *honoraria* denotaret.

<sup>2)</sup> *Mensurnae* a sportulis in hoc differunt, quod sportulae in esculentis consistunt, quae utpote corruptioni obnoxia propterea singulis hebdomadibus distribuebantur, mensurnae vero in pecuniis, quae singulis mensibus exsolvebantur.

„reat, illud etiam sancire volumus, ut si quae domus aut loca ad  
 „jus Christianorum ante haec pertinentia ex jussu divorum paren-  
 „tum nostrorum ad jus fisci devoluta fuerint, — cuncta ad pristi-  
 „num jus ac dominium Christianorum revocentur, ut hac etiam re  
 „pietatem ac providentiam nostram cuncti possint agnoscere. Haec,  
 „inquit Eusebius, sunt Tyranni verba.” — Luculentius id apparet in  
 caussa *Pauli Samosatani* praesulis Antiocheni, cui, cum ex episco-  
 pali domo illi ecclesiae propria excedere detrectaret, Imperator *Au-*  
*relianus*, hac de re ab episcopis imploratus, praecepit, eas ecclesiae  
 aedes adtribuendas, quibus Christum professi Italiae urbisque Ro-  
 mae antistites juberent incolendas. Nec minus illustri argumento  
 est, quod *Eusebius de vita Constantini lib. II.* nobis reliquit de lege,  
 qua reddi jubentur ecclesiae possessiones omnes, quas invidentissi-  
 mus persequentium furor eripuerat. Tenor hujus legis his verbis  
 allegatur: „Id circo quae necessitas exitiosa coegit, ut adirentur,  
 „illa modo retinere minime tutum est, et curamus alioqui rationi-  
 „bus et exemplis avaritiam omnino imminuendam esse. Nam si ali-  
 „quid ex his aerarium habebit, non obtinebit, uti possideat: atque  
 „contra ista dicere non audens, quae injura tenuit intervallo, jure  
 „concedet ecclesiis. Ita quod ad ecclesiam pertinere constiterit hor-  
 „torum, domiciliorum, fundorum et aliarum facultatum integra re-  
 „publica et legibus ea edicimus condicenda. Verumtamen ipsa  
 „loca decora martyrum corporibus et praestabilis ab hac vita seces-  
 „sionis monumenta ecquis ecclesiarum esse ambigat? Ecquis aucto-  
 „ritate sua secus jubeat, quam quae inimica ratione ademerunt sce-  
 „lestissimi homines, exhibita denuo ecclesiae conservari?”

§. 6.

*Bona ecclesiae aucta sub Constantino M.*

Nec contentus Constantinus Magnus direpta ecclesiae bona resti-  
 tuisse, sed in dies, cum religio Christiana in civitatem fuit recepta,

novos fontes aperuit, ex quibus uberrima commoda capiat. Non solum enim piissima lege, ut ecclesia legata cujusvis generis, adeoque et fundos recipere possit, sancivit, sed et largissima manu ecclesias locupletavit, atque ex fisco bona clericis ab episcopo distribuenda assignavit. Qua de re *Eusebius lib. X. cap. VI.* hanc epistolam affert: „Constantinus Augustus Caeciliano Carthaginensi. Quando „quidem placuit Nobis, ut per omnes provincias Africae, Numidiae „et Mauritaniae certis quibusdam legitimae et sanctissimae religionis „ministris ad sumptus necessarios aliquid praeberetur, literas dedi „ad Ursum virum perfectissimum, Rationalem Africae, eique signifi- „ficavi, ut ter mille folles Tuae Gravitati numerari curaret. Tu „itaque ubi praedictam quantitatem acceperis, operam dabis, ut „cunctis supra memoratis juxta brevem ab Hosio ad te directum ea „pecunia dividatur. Quodsi forte ad meum erga vos omnes in hac „parte studium explendum deesse aliquid intellexeris, incunctanter „quidquid necessarium Tibi videbitur, ab Heraclida procuratore „praediorum Nostrorum petere debes. Nam et ipsi coram mandavi, „ut siquid pecuniae Gravitas Tua ab ipso postularet, absque ulla „dubitatione dinumerandum Tibi curaret.”

§. 7.

*Episcopi continui administratores bonorum ecclesiasticorum cum consilio presbyterorum.*

Ex dictis sua quasi sponte promanat, episcopos continuo praecipuos fuisse bonorum ecclesiasticorum administratores. Id quod *Canon XL. Apostolorum* clarissime enuntiat: „Praecipimus, inquit, „ut episcopus res ecclesiae in sua habeat potestate. Nam si pretiosae „hominum animae fidei ejus committendae sunt; multo itaque magis oportuerit, et de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitrato „dispensentur, neque non cum timore Dei summa sollicitudine per „presbyteros ac diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem

„et ipse (si modo indiget) quantum ad necessarios et hospitio  
 „exemptorum fratrum usus opus habet, ne quo modo ipse posteriore  
 „~~leo~~ habeatur quam ceteri. Ordinavit enim lex Dei, ut, qui altari  
 „inserviunt, de altari nutriantur, quomodo nec milites unquam  
 „suis annonis arma inferunt.” Quis vero canones omnes recensebit,  
 qui apertissime episcopis praecipuas partes in curandis bonis eccle-  
 siasticis esse demandatas, asserunt? Brevitatis caussa tantum Con-  
 cilio *Antiocheni anno 341. celebrati decreta afferam. Can. 24. statui-*  
*tur: „Sua bona servantur ecclesiae, qua fieri cura et fide potest ante*  
*„Deum, qui nihil non videt et judicat. Ea sunt administranda epi-*  
*„scopi iudicio et auctoritate, cui totus populus animaeque fidelium*  
*„sunt. Quod ad ecclesiam pertinet, peculialiter presbyteris et diaco-*  
*„nis eam circumstantibus notum esse, eosque nihil latere debet, ut*  
*„si episcopum decedere contigerit, perspectum sit id, quod eccle-*  
*„siam spectat, ne quid pereat, aut dissipetur, neve peculiaria epi-*  
*„scopi bona specie negotiorum ecclesiae implicentur. Justum enim*  
*„apud Deum et homines est, iis episcopi bona relinquere, in quorum*  
*„gratiam is ea disposuerit, et quod ecclesiae est, eidem servetur.”*  
 Canon porro XXV. regulas praescribens in usu bonorum ecclesiasti-  
 corum servandas, eorum dispositionem ita relinquit episcopo, ut ea  
 distribuat in omnes, qui opus habent, ex conducto cum presbyteris  
 et diaconis, sibi que ipsi, prout indigerit, siquidem reapse indi-  
 guerit, ex iis sumat, et per ea fratribus, quos hospitalitate com-  
 plectitur, ita consulat, ut iisdem nihil omnino desit. Addit porro  
 canon, *episcopum si eo contentus non fuerit, quod ipsi necessarium*  
*est, atque ecclesiae bona presbyteris et diaconis insciis et inconsultis in*  
*suum privatum usum detorserit, provinciae concilio rationem redditu-*  
*rum. Quodsi ceteroquin episcopus aut presbyteri fama laborant, tan-*  
*quam trahentes ad proprium usum ecclesiae bona, ut pauperes dam-*  
*num sentiant, tum quoque ipsi ex concilii iudicio corrigantur.*

## §. 8.

*Episcopi non domini sed administratores bonorum ecclesiasticorum.*

Me non monente ex praecedentibus jam jam elucet, episcopos bonorum ecclesiarum suarum haud fuisse habitos ceu dominos sed ceu administratores tantum ac tutores. Cum tamen nonnulli ita se gessissent, quasi donationes ecclesiis factae ipsorum essent, *concilium Agathense ann. 506. can. 6.* cavit: „Pontifices vero, quibus in summo „sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum eccle- „sia aut sequestratim aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille, „qui donat, pro redemptione animae suae non pro commodo sacer- „dotis probatur offerre, non quasi suum proprium sed quasi dimis- „sum ecclesiae, inter facultates ecclesiae computabunt, quia justum „est, ut sicut sacerdos habet, quod ecclesiae dimissum est, ita et „ecclesia habeat, quod relinquitur sacerdoti.”

## §. 9.

*Divisio bonorum ecclesiasticorum introducta.*

Nec minus in aprico est, ex ipsis jam ecclesiae regulis et consuetudine cautum esse, ad quosnam usus bona ecclesiastica fuerint destinata. Quoniam vero, prouti in rebus humanis fieri solet, successive in distribuendis bonis ecclesiasticis diversi irrepserunt abusus, atque *Gaudentus Auficii* episcopus de mala bonorum ecclesiasticorum administratione penes sedem Romanam incusaretur, *Simpli- cius* Papa *Severum* episcopum ablegavit, qui curam illius ecclesiae *Bonagro* presbytero hac lege committeret, ut quartam partem episcopo traderet, quartam alteram impenderet clero, reliquas duas partes similes pauperibus et fabricae addiceret. Decretalis haec refertur *c. 28. C. XII. q. 2.*, quam nova constitutione sancivit *Gelasius I.*, atque sequentibus seculis adoptavere reliqua concilia, cum

hac tantum differentia, ut nonnulla concilia praecipue in Hispania de tribus tantum partibus loquantur. De quo haec forsitan ratio erat, quia Patres aliunde jam persuasi erant, clericos ex ipso officio in conscientia teneri, ut ex residuo pauperibus subveniant.

§. 10.

*Episcopo adjunctus est oeconomus.*

Sed nec praecedentibus decretis omnes abusus in curandis bonis ecclesiae eliminatos fuisse ex placitis concilii Chalcedonensis ann. 451. satis elucet, ut enim episcopis limites ponerentur, et ne infamia in eos conflaretur, *can. XXVI.* statuit: „Quoniam in quibusdam ecclesiis, sicut reperimus, sine oeconomis res ecclesiastica tractatur, placuit omnem ecclesiam episcopum habentem *oeconomum habere de suo clero* dispensantem ecclesiasticas res cum voluntate sui episcopi, ut ne sine testimonio sit dispensatio ecclesiae, et ex hoc dispergantur ejusdem ecclesiae res, et detractio infligatur sacerdotum. Si vero hoc non fecerit, subjacere eum sacris canonibus.” Quem canonem non tantum concilium *Hispalense I. ann. 590.*, et alia concilia renovarunt, sed et *Justinianus C. L. Tit. III. l. 42.* sancivit his verbis: „Ipsos quidem oeconomos cum judicio et diligenti discussione praecipimus creari, scientibus ipsis, quod singulis annis rationem referent sanctissimo episcopo suae administrationis, et quacunque in re videbuntur res ecclesiasticas minuisse vel laesisse, vel proprium quaestum quaesuisse, hoc ecclesiasticis rebus restituent. Itaque si superstites istius modi rationes subierint, fiant, quae supra dicta sunt; si vero non redditis rationibus defuncti fuerint: tunc ipsorum haeredes subjiciantur tali discussioni, et conveniantur pro restitutione omnium, quae ex ea causa debere illos constiterit.”



## §. II.

*Parochis relinquuntur certi redditus.*

Ecclesia nascente nonnisi cathedrales plerumque extitere; proinde quodocunque primis seculis nomen *parochiae* occurrit, plerumque pro dioecesi usurpabatur. Interim jam seculo III. parochias viginisse rurales <sup>1)</sup>, ad quas certi pagi spectabant in communitatem coalescentes, quibus praeerat presbyter ex ecclesia cathedrali illic missus, certum videtur. Communitas talis nomine *plebis* venit, presbyter vero *plebanus* dicebatur. Quibus plebanis cum episcopi ex oblationibus, quod libuit, indulgerent, hi arbitrariis donationibus parce sustentati amare conquerebantur, quod deterioris conditionis erant, quam presbyteri ecclesiarum cathedralium, utpote qui mensurnis adhuc erant recreati. Quo factum, ut episcopi et ipsis partem distributionis menstruae relinquerent, vel illius loco certam pecuniae summam pro sustentatione assignarent. Cum vero ex post parochiae dilatarentur, novique fundi et redditus ecclesiis indies accederent, Praesules hos agros proprii emolumenti gratia presbyteris committere non haesitaverunt. Sic *in conc. Agathensi ann. 506. can. 7.* episcopis jam permittitur, ut fundos minores suis clericis usucapiendos tradant, salvo jure ecclesiae. — *In synodo Aurelianensi I. ann. 511.* jam occur-

<sup>1)</sup> *Athanasius in Apologia II.* ait: „Sunt autem pagi maxime decem numero, aut paulo plures, qui singuli suos habent presbyteros, in quibus nunquam fuit episcopus aut chorepiscopus, sed universae illius regionis ecclesiae alexandrino parent episcopo.” *Theodoretus ep. 112.* ait, se octoginta ecclesiarum curam sortitum esse, tot enim Cyrum habere paroecias. — Sed et saltem seculo IV. in civitatibus majoribus nonnullae paroeciae ad normam ecclesiarum Romae et Alexandriae jam existentium ortae sunt. Exempla refert Eusebius H. E. lib. VII. cap. 11. atque ex illo tempore discrimen *ecclesiae cathedralis* ab *ecclesia plebana* seu parochiali obtinuit. Quibus parochiis cum semper clerici ecclesiarum cathedralium ab episcopo praeficiebantur, hi ad nutum episcopi ad ecclesias suas revocari potuerunt, prouti declarat *conc. Emeritanum ann. 666. can. 12.*

runt vineolae et terrulae, quas episcopi clericis pro tempore tenendas praestitere. Quam agendi rationem ad parcendos sumtus et ad culturam agrorum promovendam et episcopis et clericis valde proficuum fuisse, nemo inficias ibit. — Hoc aevo quoque *Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus ann. 458. electus oeconomum constituit *Marcianum* presbyterum, qui primus morem stabilivit, ut oblationes non amplius ecclesiae cathedrali sed singulis ecclesiis parochialibus cederent. Id quod etiam obtinuit in ecclesiis Galliae et Hispaniae. Haud dubie enim aegre ferebant parochi, ut pinquiores jam jam oblationes, quas ipsi suis functionibus v. c. baptismum administrando, nuptias benedicendo promereri debuere, episcopo tradere cogerentur. Ex quo orta sunt sic dicta *jura Stolae*, quae juribus parochialibus accensebantur.

§. 12.

*Initia beneficiorum ecclesiasticorum.*

Ex praefatis facile colligitur, prima hic jacta fuisse beneficiorum ecclesiasticorum fundamenta. Ast, prouti bene observat *Van Espen I. E. P. II. tit. 18. cap. 1.* haec disciplina haud eodem tempore nec ubivis locorum fuit introducta, sed de una ad aliam transiit ecclesiam. Illud vero notandum, quod sicut praedia, quae, ut dici solet, beneficiario jure a principe data possidebantur; ita quoque primitus comparatum fuisse videtur, ut res ecclesiae beneficiario jure clericis concessae ad eorum vitae tempus tantum censerentur datae, ipsasque non possiderent jure *tituli* sed jure *personali*, quam ob rem post mortem totaliter ad episcopos reverti crederentur. Quemadmodum porro principes sua *beneficia* dabant iis, qui servitium militare aliave obsequia praestarent, ita et episcopi bona ecclesiae possidenda seu potius jus fructus percipiendi largiebantur clericis, ut juxta vocationem suam ecclesiae deservirent. Hinc illud: *Beneficium datur propter officium.*

## §. 13.

*Nonnulli episcopi novis beneficiis haud favent.*

Haud vero omnes episcopos bona ecclesiis parochialibus commissa aequo animo tulisse, sed ad ea ecclesiis cathedralibus revindicanda sese accinxisse ex pluribus conciliorum decretis, quibus eorum potestas valde fuit limitata, discimus. Sic *conc. Carpentoractense ann. 527.* decernit: „Licet omnia, quae ecclesiastica regula praecipit observari, in multis canonibus contineantur inserta, nascuntur tamen caussae, pro quibus necesse habent sacerdotes Domini, quod ad justitiam pertinet, secundum disciplinam ecclesiasticam ordinare. Et ideo quia Carpentoracte convenientes hujusmodi ad nos querela pervenit, quod ea, quae a quibuscunque fidelibus parochiis conferuntur, ita ab aliquibus episcopis praefurantur, ut aut parum, aut prope nihil ecclesiis, quibus collata fuerant, relinquatur. Hoc nobis justum et rationabile visum est, ut si ecclesia civitatis, cui episcopus praeest, ita est idonea, ut Christo propitio nihil indigeat, quidquid parochiis fuerit derelictum, clericis qui ipsis parochiis deserviunt, vel reparationibus ecclesiarum rationabiliter dispensetur. Si vero episcopum multas expensas et minorem substantiam habere constiterit, parochiis, quibus largior fuerit collata substantia, hoc tantum, quod clericis vel sartis tectis rationabiliter sufficiat, reservetur; quod autem amplius fuerit, propter majores expensas episcopus ad se debeat revocare, ita tamen ut nihil de facultate ipsa vel de ministerio clerici loco ipsius licentiam habeant minuendi.” Verum hac clausula non admodum consultum fuisse parochiis, cum pro lubitu egestatem suae ecclesiae obtenderent episcopi, querelae in *conc. Toledano III. ann. 589.* motae sat produnt. Quare Patres *can. 20.* publice fatentur: „Cognovimus episcopos per parochias suas non sacerdotaliter sed crudeliter desaevire.” Ad praescindendam itaque omnem occasionem invadendi bona ecclesiarum

parochialium conc. *Bracarense III. can. 2.* episcopis tertiam partem oblationum, quae illis in nonnullis ecclesiis adhuc indulta erat, penitus his verbis ademit: „Placuit, ut nullus episcoporum, cum per dioeceses ambulat, praeter honorem cathedrae suae, id est duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacunque populi oblatione in ecclesiis parochialibus requirat. — Nam cum tertia illa parte episcopi lumen et sacra ecclesiae sustulerunt,” Ex quibus ultimis verbis sat superque elucet, ad quamnam egestatem ecclesiae parochiales fuerint redactae et qua ratione cultus divinus propterea fuerit neglectus. Sed nec his statutis malo huic medelam latam esse, *can. 33. conc. Toledani* post sexaginta annos celebrati manifestat, ibi enim dicitur: „Inde quod episcopi omnia auferunt, et in usus suos convertunt, inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia perdunt, inde basilicarum ruinae non reparantur, quod sacerdotalis avaritia abstulit.” Sed nec hisce decretis querimonias sopitas fuisse *concilia Toledi ann. 646 et 655. celebrata docent.*

#### §. 14.

*Episcopi ecclesiis viduatis beneficia diminuere non possunt.*

Quod efficere episcopi contra parochos non valere, hoc tentabant beneficiis vacantibus; eo enim tempore agros vel praedia ecclesiis antea concessa Cathedrae suae revindicare omni studio conati sunt. Sed et his molitionibus auctoritas conciliorum obstitit. Sic *Conc. Aurelianense III. ann. 533. can. 17.* aperte enuntiat, episcopos canonicis <sup>1)</sup> suis agros et praedia ab antecessoribus concessa adimere

<sup>1)</sup> *Canonicorum* nomine hic veniunt, qui stipendiorum ecclesiae participes facti, eamque ob rem *canoni* seu matriculae adscripti erant; opponebantur illis clericis, qui oratorii principum addicti ab ipsis alimoniam levabant. Ex quo apparet, hoc aevo parochos quoque civitatenses aequae ac rurales hac compellatione fuisse notatos.

non posse, nisi ex aequa permutatione. Haec enim sunt verba canonis: „De munificentia sacerdotum (id est episcoporum) id observandum, quod sicut siquid praesenti tempore a clericis decedentibus nullatenus auferatur, ita qui decessorum largitionibus gaudent, officia et ecclesiae obedientiam et affectum sacerdotibus praebent.” Pari modo *conc. Cabillonense ann. 650. can. 7.* prohibet ne episcopi vel archidiaconi vel quivis alius quidpiam de paroecia, hospitalis vel monasterii bonis sumat defuncto presbytero vel abbate. — Cui disciplinae inhaesisse quoque videtur *Gregorius M. Lib. II. ep. ita* scribens: „Ecclesiam in tua paroecia positam presbytero vacare cognovimus. Presbyterum *Dominianum* praesentium portitorem in eadem ecclesia ut praeesse debeat, nos scito deputasse. Ideoque Fraternalitas Tua ei emolumenta ejusdem ecclesiae faciat sine cunctatione praestari, et decimae fructus indictionis, qui jam percepti sunt praedicto viro sine mora fac restitui, quatenus ejusdem ecclesiae utilitates, cujus emolumenta consequitur, valeat procurare.” Ex quibus verbis manifestum est, fructus vacantis ecclesiae paroeciae accrevisse.

### §. 15.

*Bona ecclesiarum vacantium ne delapidentur, cavetur.*

Praefata *S. Gregorii* epistola non minus quam canon *concilii Cabillonensis* alludere videntur ad exitialem illum morem, qui seculo sexto irrepsit, vi cujus bona ecclesiarum tum cathedralium tum paroecialium a diversis misere dilacerabantur. Cui abusui ut obviam iretur, varia tum ex parte ecclesiae tum ex parte summorum imperantium condita decreta, variique constituti sunt administratores. *Concilium Aurelianense II. ann. 533. can. 5 et 6. ait:* „Episcopus, qui defunctum advenerit sepelire, praeter expensam necessariam nihil pretii pro fatigatione deponat, adeatque episcopus, evocatis pres-

„byteris in unum, domum ecclesiae descriptamque idoneis personis  
 „sub integra diligentia derelinquat, ut res ecclesiae illorum impro-  
 „bitate non pereant.” Nec soli episcopi sed et principes omni quo  
 meliore potuere modo, ecclesiarum viduarum incolumitati prospice-  
 cere conati sunt. Quare *Justinianus C. de ep. et cler. l. 42.* sancivit:  
 „Post mortem vero Deo amantissimorum episcoporum jubemus, ut  
 „pro tempore illarum ecclesiarum oeconomi rationes reddant earum,  
 „quae ab illis relictae sunt, rerum, idque sanctissimis ecclesiis pro-  
 „ficere, quod ex hac nostra lege eis debetur.” Ad eandem ferme  
 disciplinam appellat *Gregorius III. Lib. I. ep. 11 et 15.* aperte enun-  
 tians, constitutos esse post mortem episcopi *vicedominos*, quorum  
 arbitrio episcopium committebatur disponendum. — Aliquoties  
 episcopis visitatoribus praeter curam spiritualium etiam temporalium  
 administrationem commissam esse testatur, *lib. II. ep. 78.* scribens:  
 „Vos in ejusdem ecclesiae visitatione estote solertes atque solliciti,  
 „ut et res illibatae serventur, et utilitates vobis disponentibus more  
 „solito peragantur.” Nonnumquam praeter oeconomum aliis quo-  
 que presbyteris vel diaconibus episcopo futuro rationem reddituris  
 res vacantium ecclesiarum concreditas fuisse Ejusdem *lib. II. ep. 22.*  
 edicit. Similem normam viguisse in Hispania testatur *can. 12. Conc.  
 Tarraconensis ann. 516.* quo praescribitur, ut post episcopi mortem,  
 qui nullum testamentum ediderit, presbyteri et diaconi omnium  
 bonorum inventarium conficiant, ac si quem ex iisdem bonis ali-  
 quid sumsisse constiterit, ad restituendum adigatur. — Verum cum  
 nec haec ordinatio cupiditatem et avaritiam quorundam coercere  
 posset, in *concilio Valentino ann. 524. can. 2.* decretum, ut post  
 mortem episcopi electione metropolitae talis persona ecclesiae ordi-  
 nandae constituatur, quae consueta clericis stipendia dispenset, et  
 creditarum sibi rerum, si forsan tarditas in eligendo episcopo suc-  
 cesserit, metropolitanis congruis temporibus reddere possit ratio-

nem, ut sub hac salubri constitutione clerici suis stipendiis contenti labores non diripiant episcopi decedentis et in vacuam ecclesiae domum futurus pontifex non sine dolore succedat, sed magis de praedecessoris sui dimisso possit et ipse gaudere, et aliis ministrare. Consulatur et *can. 9. conc. Toledani ann. 655.* celebrati, in quo eadem inculcantur. Nec solum ecclesiis cathedralibus sed et parochialibus prospexere concilia Galliae. Verba concilii *Parisiensis ann. 615.* nimis sunt praegnantia, quam ut hic non integra allegentur: *can. 7.* dicitur: „His etiam constitutionibus adnecti placuit, „ut defuncto episcopo, presbytero, diacono vel quoquam junioris ordinis clerico nec per praeceptum regium neque per judicem <sup>1)</sup> nec „per qualemcunque personam res ecclesiae — attingantur, sed ab „archidiacono vel clero in omnibus defendantur. *Can. 8.* inquit: „Comperimus denique, cupiditatis instinctu deficiente abbate vel „presbytero, vel his, qui per titulos deserviunt, praesidium quodcunque in mortis tempore reliquerint, ab episcopo vel archidiacono „diripi, et quasi sub augmentum ecclesiae, vel episcopi in ecclesiam „revocari, et ecclesiam Dei per pravas cupiditates expoliatam relinquere; statuimus, ut neque episcopus aut archidiaconus aliquid auferre praesumat, sed in loco, ubi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat permanere.” Verum quo non cogit mortales auri sacri fames! Quamvis canon praecedens gravissimis sit conceptus verbis, nondum penitus sustulit omnem clericorum avaritiam. Id quod impulit concilium *Cabillonense ann. 650.* ut *can. 7.* denuo decerneret; ne episcopi, archidiaconi vel quivis alius quidpiam de parociae, hospitalis aut monasterii bonis post presbyteri vel abbatis mortem, penes quem eorum regimen erat, sumat. — Nec in occidente solum sed et in oriente eadem viguit disciplina; legimus

<sup>1)</sup> Ex quo apparet, ut hujusmodi depraedationes impune fieri possent, imploratam fuisse iudicis vel principis auctoritatem.

enim in *concilio Trullano* can. 35. „Nulli omnium metropolitano-  
 „rum liceat mortuo episcopo, qui ejus throno subest, res ipsius  
 „vel ecclesiae auferre, vel sibi vindicare; sed sint sub custodia cleri  
 „ecclesiae, cui defunctus praefuit, usque ad alterius episcopi pro-  
 „motionem, praeterquam si in eadem ecclesia non relictis sint cle-  
 „rici, tunc enim metropolitanus ea non diminuta servabit ordi-  
 „nando episcopo omnia reddens.”

§. 16.

*Laici ex titulo foundationis participare volunt b. e.*

Nec tantum invigilandum fuit Patribus, ut ecclesiae, praesulibus orbatae, illibatae conservarentur, sed cum seculo VI. etiam laici cupidas in ecclesiae bona extenderent manus, modis omnibus hisce machinationibus obviandum censebant. Quia enim ampliores in dies ecclesiis accrescebant possessiones, atque lege *Justiniani Nov. 67. c. 2.* constitutum erat, *ne ecclesia sine sufficiente dote erigatur*; plures laicos cupido invasisse videtur ecclesias aedificandi cum hac conditione, ut et ipsi partem oblationum haberent, atque adeo se administrationi bonorum ecclesiasticorum immiscerent. Cui arrogantiae vel dicam avaritiae gnauiter sese opposuere episcopi in *concilio Bracarense ann. 571. can. 6.* vetantes, ne si quis ecclesiam fundare vellet ea lege, ut cum clericis participet oblationes, eam ul- lus episcopus, utpote cupiditate potius quam pietate fundatam, consecret. Id tantum *concilium Toletanum ann. 635. can. 58.* indulsit, ut si quis donationem aliquam in ecclesiam contulerit, ejusque filii ad necessitatem redacti forent, iis haec ecclesia opitulari debeat. Ut autem laicis omnis ansa ecclesiae bona diripiendi occludatur *Concilium Cabillonense* mandante *Clodovaeo II.* habitum *can. 5.* prohibet, ne laici sibi paroeciarum bona administranda arrogant. Eo enim



jam tunc temporis abusus deveniebat, ut laici non deessent, qui archipresbyteri munus obire gestirent.

§. 17.

*Status bonorum ecclesiasticorum a seculo V. usque ad Pipinum.*

Ecclesias tempore incursionis barbararum gentium summopere fuisse afflictas, facile divinari potest. Interim tamen ecclesiae bona immobilia <sup>1)</sup> praecipue in Gallia, Hispania et Longobardia sarta tectaue fuisse sub ferocibus istis ducibus testem habemus *Paulum diaconum*, Lib. II. Cap. II. Cap. 12. aliosque. Quantopere porro paullo post, cum nonnulli principes ad sacra Christianorum transiissent, bona ecclesiastica creverint, juvat tantum audire Chilpericum Chlodovaei nepotem conquerentem: *Ecce pauper remansit fiscus noster, et divitiae nostrae translatae sunt ad ecclesias*. Quantopere autem fundatorum interfuerit, ut ecclesiae dono datae possessiones intactae remanerent, execrationes horribiles donationum instrumentis insertae adjectaevae, quas refert *Marculfus Lib. II.* sat superque insinuant <sup>2)</sup>. Sed nec istae licet horrendae execrationes absterruere avaritiam, prouti docet *conc. Clarimontanum ann. 541. can. 4.* et *conc. Parisiense ann. 557. can. 1.* Inter omnes vero quam maxime ecclesias afflixisse videtur *Carolus Martellus*, prouti constat ex literis episcoporum Galliae *ann. 858. in conc. Carisiaco congregatorum ad regem Ludovicum Germaniae datis*, in quibus aperte asserunt, *Pipinum* pro virili sua adlaborasse, ut ablata a patre denuo restituantur ecclesiis. Sic enim sonat epistola: „Quantumcunque de rebus „ecclesiasticis, quas Pater suus (*Martellus*) abstulerat, potuit, eccle-

<sup>1)</sup> Summopere itaque interfuit ecclesiae, possedisse bona immobilia.

<sup>2)</sup> Memoratu quoque dignae sunt expressiones in formulis Marculfi occurrentes: *Bona e mea proprietate transfero. — Venerabili loco mansum unum in proprium largior. — Teneat jure proprietatis et allodii in perpetuum.*

„suis reddere procuravit. Et quoniam omnes res a quibus ablatae  
 „erant, restituere propter concertationem, quam cum *Vaifario* Aquit-  
 „tanorum principe habebat, non praevaluit, *praecarias* <sup>1)</sup> fieri ab  
 „episcopis petiit, et *nonas* et *decimas* ad restorationem tectorum et  
 „de una quaque *casata* (i. e. de quavis familia in beneficio degente)  
 „XII. denarios ad ecclesiam, unde res erant beneficiatae, dari con-  
 „stituit, usque dum res ipsae ad ecclesiam devenirent.”

§. 18.

*Status bonorum ecclesiasticorum sub Carolo M.*

Quod *Pipinus* Pater necessitate adactus ratione *praecariarum*  
 constituit; *Carolus M.* ann. 800. *Capit. lib. VII. c. 104.* ita determi-  
 navit: „Praecipimus, ut nullus res ecclesiae nisi precario possideat,  
 „et postquam ipsae precariae finitae fuerint, faciant potestative spe-  
 „culatores ecclesiae (i. e. episcopi) utrum elegerint, ut ipsas res  
 „recipiant, aut posteris eorum sub precario et censu habere permit-  
 „tant.” Hanc addens rationem: „Novimus multa regna et reges  
 „eorum propterea cecidisse, quia ecclesias spoliaverunt, resque  
 „earum vastaverunt, abstulerunt et pugnantibus dederunt. Qua-  
 „propter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, regnaque

<sup>1)</sup> Plures *praecariarum* species reperire licet. Aliae precariae constitutae sunt  
 in favorem beneficiariorum (ut vocant) laicorum, de quibus hic sermo est,  
 utpote quibus beneficia ecclesiastica indulta sunt, ut principi servitia armis  
 praestent. Altera species est, si episcopi cum consensu eorum, quorum in-  
 terest, alicui beneficium sua sponte committunt. Porro erant *precariae*, si-  
 quis offerebat ecclesiae bona sua propria ea lege, ut illa feudi instar ab ec-  
 clesia denuo impetraret, atque inde usum fructus colligeret, vel etiam du-  
 plum triplumve ab ecclesia penderetur. Quam prompti nonnulli ad hoc pa-  
 ctum fuerint, quantumque emolumenti ecclesia ex hujusmodi conventionibus  
 ceperit, cuivis in propatulo est.

„et regiones et quod pejus est regna coelestia perdidierunt.” Quantopere porro Carolus M. sarta tectaque voluerit bona ecclesiastica, cujusvis generis, enunciat *Capit. Lib. VI. c. 305.* inquiens: „Omnia, quae Domino offeruntur, procul dubio Domino consecrantur, et non solum sacrificia, quae super altari a sacerdotibus Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quaecunque a fidelibus offeruntur, sive in mancipiis sive in agris, vineis, sylvis, pratis, aquis aquarumque decursibus, artificibus libris, utensilibus, petris, aedificiis, vestimentis, pellibus, lenificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus et immobilibus, vel quaecunque de his rebus Domino ecclesiaeque offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, et ad jus pertinent sacerdotum.” Qua persuasione ductus piissimus princeps in supra allegato *capitulari Lib. VII. c. 104.* adjuncto Leonis Papae et omnium episcoporum consilio filiis et successoribus suis prohibuit, ne absque episcoporum consensu et voluntate aliquem ecclesiae fundum usurpent. Addens: „Quod si quis fecerit tam nostris quam successorum nostrorum temporibus, poenis sacrilegii subiaceat, et a nobis nostrisque successoribus nostrisque iudicibus vel comitibus sicut sacrilegus et homicida vel fur sacrilegus legaliter puniatur, et ab episcopis anathematizetur, ita ut mortuus etiam sepultura, precibus et oblationibus careat.”

§. 19.

*Sub Carolo Calvo.*

Piis istis monitis non obsecundavit *Carolus Calvus*, quare Patres in concilio Meldensi ann. 845. habito *can. 18.* ei supplicavere, ut praecepta illicita de rebus ecclesiasticis facta rescindantur, et de cetero ne fiant, a dignitate regii nominis caveatur. Denique *can. 21.* declarant: „Praecepta regalia super precariis ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit; sed postulant,

„ut precariae secundum antiquam consuetudinem et auctoritatem  
 „de quinquennio in quinquennium renouentur.”

§. 20.

*Bona ecclesiastica respiciuntur ceu patrimonium pauperum etc.*

Qua de causa bona ecclesiastica hoc praecipue aevo tam sancta  
 habita fuerint, jam equidem vidimus §. 18. ex Caroli M. effatis.  
 Verum hac praepriis tempestate declarabantur ceu patrimonium  
 pauperum. Sic concilium *Aquisgranense ann. 816. can. 116. ait:*  
 „Res ecclesiae, sicut a ss. Patribus traditur, vota sunt fidelium, pre-  
 „tia peccatorum, et patrimonia pauperum. Fideles namque eccle-  
 „siam locupletem fecerunt, ut his et milites Christi alerentur, ec-  
 „clesiae exornentur, et captivi redimerentur.” Huc quoque colli-  
 mant non tot quin plures canones plurimorum conciliorum, qui et  
 episcopis et clericis peculiarem modestiam, sobrietatem et frugali-  
 tatem ideo commendant, ut ex ecclesiae bonis plura pauperibus di-  
 stribuenda conseruentur. Quem pium sanctissimumque finem *conc.*  
*Parisiense ann. 829. prae oculis habens c. 29. in haec verba erupit:*  
 „Cesset ergo ambitio, quae dicere solet, nimis rerum habere eccle-  
 „sias Christi, et perpendat, quia quantaecunque sunt res ecclesiae,  
 „si eo modo, quo dispensandae sunt, dispensentur, nimiae non sunt.  
 „Cupiditas quippe imo negligentia quorumdam dispensatorum, non  
 „ecclesiae amplae res, in vitio sunt. Mira namque res, ambitio  
 „mundialis satis non habet, et ecclesia Christi nimium habet.”

§. 21.

*Episcopo praecipuae partes in curandis b. e. tribuuntur. Seculo VIII.*

Sicuti primis ecclesiae saeculis praesules ecclesiae primam maxi-  
 mamque curam bonorum ecclesiasticorum gerere tenebantur; ita et  
 sub stirpe Carolingica episcopis praecipue administratio omnium

bonorum ecclesiae fuit commissa. *Concilium Francofordiense ann. 794.* statuit: „De oblationibus, quae in usus pauperum conferuntur, canonica observetur norma, et non ab aliis dispensentur, nisi cui episcopus ordinaverit.” *Carolus M. Capit. lib. V. c. 123, 149.* ordinat de decimis, ut unusquisque suas decimas donet, atque per iussionem episcopi dispensentur. *Ludovicus Pius capit. lib. VII. c. 188.* inquit: „Episcopi rerum ecclesiasticarum in omnibus juxta canonum sanctiones plenam semper habeant potestatem, nullus eas dare vel accipere absque proprii episcopi audeat iussione.” Clarius id exprimitur *in addit. IV. c. 58.*: „De his, quae parochiis in terris, vineis, mancipiis atque pecuniis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum instituta serventur, et omnia in episcopi potestate consistant. De his tamen, quae altario accesserint, tertia fideliter episcopo deferatur.”

§. 22.

*Haec disciplina successive immutatur.*

Verum seculo nono ad finem vergente jam magnam in administrandis bonis ecclesiasticis mutationem factam esse, majoresque partes sibi adscivisse parochos, testatur *concilium Troslegense ann. 909. cap. 6.*: „Ab antiquo, inquit, tempore a ss. Patribus constitutum est, ut sicut habet episcopus in sua ordinatione omnem generaliter parochiam cum omnibus rusticanis parochiis, quas per tricennium possedit; ita et unusquisque presbyter in sua ordinatione ac dispositionis cura habeat parochiam suam cum dote ac decimis ecclesiae, cum episcopi sui consilio et dispositione secundum regulas antiquitas et divinitus constitutas.” Ex quo apparet, hoc aevo bona ecclesiarum parochis ita fuisse commissa, ut nonnisi ad rationem episcopo reddendam et ad consilia ejus audienda fuerint obligati. Haud tamen haec immutatio episcopis arrisit, prouti praecipue ex

querelis *episcopi Veronensis* patet, quae referuntur *spicil. Tom. II. p. 165.* „Et cum de oblationibus et decimis fidelium vivere debent „clerici, si nescit episcopus, quot decimani, quot mansi, quot mo- „dia tritici, quot congia vini tantis vel tantis sufficiant clericis ad „victum utique et tegumentum, nonne convincitur, aut non esse „pastor, aut insignis esse pastor, qui nescit utique, ubi illa sint „pascua, ubi pecora. — Si ergo ad episcopum nihil de rebus „pertinet, quibus clerici vivere debent, si non dividuntur singulis „ab episcopo, prouti cuique opus est, sed si ipsi clerici inter se „dividunt, prout quilibet eorum potentior est, et non juxta con- „suetudinem aliarum ecclesiarum omnibus ecclesiae clericis sed „juxta propriam voluntatem solis diaconibus et presbyteris debent, „quae ecclesiae Veronensi collata sunt, cedere etc.” Ast quidquid praesul Veronensis aliive episcopi opposuerint, presbyteri ita obstinate suo adhaeserunt usui, ut antistites contra eos parum proficere potuerint.

### §. 23.

#### *Decimas cedunt episcopi parochiis.*

Cum decimae sub stirpe Carolingica plenius et universalius in usum fuerint deductae, eadem ecclesiis parochialibus in illo districtu degentibus ab ipsis episcopis fuerunt commissae. Expresse id enuntiat *can. 16. conc. Turonensis* jubens, „ut decimae, quae singulis dabantur ecclesiis per consulta episcoporum, ad usum ecclesiae „et pauperum summa diligentia dispensentur.” Equidem canones olim quartam partem decimarum episcopis tribuebant, ast hac tempestate plerique praesules sponte juri suo in favorem pauperum in quavis paroecia degentium renuntiassent videntur. Id quod tandem ita in legem abiit, ut episcopo non nisi in extrema necessitate parochiis quartam partem adimere liceret, ut suae succurre-

ret ecclesiae cathedrali. En hic 31. cap. conc. Parisiensis VI. ann. 829. „Et quamquam auctoritas canonica doceat, ut quarta pars decimarum et reddituum ex oblationibus fidelium in episcoporum usus cedat; ubicunque tamen episcopus sua habet, suis contentus sit: ubi autem nihil rerum ecclesiae suae habet, accipiat de memorata quarta parte sibi suisque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed quod necessitas compulerit. Ceterum si accipiendi nulla necessitas urserit, nihil de memorata quarta accipiat, sed usibus ecclesiarum et pauperibus Christi impertiendam secundum suam dispositionem relinquat.” Quia vero perraro contigit, ut episcopi in extremam redigerentur egestatem, factum fuit, ut canones conciliorum illo aevo de trina tantum portione loquantur. Sic apud *Baluz. Capit. Tom. II. p. 359.* legitur: „Sacerdotes decimas secundum auctoritatem canonicam dividant coram testibus, et ad ornamentum ecclesiae primam eligant partem, secundam autem ad usum pauperum vel peregrinorum, tertiam sibimetipsis soli sacerdotes dispensent.” Per hoc tamen, quod decimae parochiis ad praefatos usus fuerunt commissae, suprema tamen inspectio, cura atque iudicium remansit penes episcopos.

§. 24.

*Litibus exortis de decimis plerumque in favorem parocciarum decidunt.*

Controversias saepius exortas fuisse, postquam decimae parochiis assignatae sunt, facile conjici potest; haud igitur injucundum reor, si aliqua exempla attulero, qua ratione istae controversiae fuerint decisae, ut exinde appareat, quam ratione ex mente Patrum illius temporis decimae sint administrandae.

Contigit non raro, ut a Principibus stirpis Carolingicae et sub Ottonibus integri fundi ac majores regiones ad episcopos et abbates migrarint. Nata est exinde quaestio, cujus sint de illis terris de-

cimae? *In conc. Galliae Tom. II. p. 252.* haec legitur definitio: „Si  
 „donatione Regum etc. aliquae res delegatae sint, et ex illis antiqui-  
 „tus ad ipsas ecclesias priores decimae datae fuerint, ipsa donatio  
 „permaneant, tamen decimas de ipsis rebus, qui eas possidere vide-  
 „tur, persolvat.”

Contigit porro, ut in ambitu cujusdam ecclesiae parochialis  
 nova ecclesia extrueretur; dubium propterea exortum, cujus sint  
 decimae in districtu illius novae ecclesiae, definitum vero in *capit.*  
*lib. II. c. 36. et in conc. Moguntino can. 41.* „Semper ad antiquiores  
 „ecclesias decimae persolvantur. — Ecclesiae antiquitus constitutae  
 „nec decimis nec possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis  
 „tribuantur.”

Aliam controversiam adducit terminatque *Concilium Cabillonense*  
*can. 9.* „Questi sunt quidam fratres, quod essent quidam episcopi  
 „et abbates, qui decimas non sinerent dari ecclesiis, ubi illi coloni  
 „missas audiunt. Proinde decrevit sacer iste conventus, ut episcopi  
 „et abbates de agris et vineis, quae ad suum vel fratrum stipendium  
 „habent, decimas ad ecclesias deferri sinant; familiae vero ibi dent  
 „decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, et ubi per totum  
 „anni circulum missas audiunt.”

### §. 25.

#### *Novissima bonorum ecclesiasticorum divisio.*

Successive tandem ad seculi decimi saltem initium non tantum  
 redditus bonorum ecclesiasticorum sed et bona ipsa in tres quatuorve  
 partes distribui caepere; ad quam disciplinam pedetentim advehen-  
 dam plures conferebant causae.

1.) Episcopi hoc jam aevo pluribus et quidem amplissimis di-  
 tionibus et principatibus exornati lubentissime fundos clericis suis  
 assignarunt in titulum beneficii, malentes sane terras suas tradere



presbyteris, ut eos sibi devincerent, quam laicis. Porro plerique episcopi praeunte Gunthero Archiepiscopo Coloniensi canonicis suis in communitate viventibus nolentes volentes partem bonorum cathedralium ecclesiarum assignarunt.

2.) Certi fundi et redditus jam seculo IX. saltem fuerunt segregati, ut ex iisdem ecclesiae repararentur. Sic jam conc. Arelatense ann. 813. can. 25. decernit: „Ut si quis beneficium de rebus ecclesiae habet, ad tecta ejusdem ecclesiae restauranda, vel ad ipsas „ecclesias aedificandas adjuvet.” Id ipsum statuunt *conc. Moguntinum can. 42. et capit. Ludov. Pii lib. V. c. 146.*

3.) Et ipsis pauperibus et peregrinis ex bonis ecclesiae certa portio consentientibus coepiscopis et principibus secerni caepit. Sic de *Hincmaro Rhemensi* narrat *Flodoardus lib. III. c. 10.*: „Canonicis „hujus Rhemensis ecclesiae hospitale constituit ad susceptionem pe- „regrinorum vel pauperum congruis ad id rebus deputatis cum „consensu coepiscoporum Rhemensis dioeceseos atque subscriptioni- „bus eorundem ea conditione, ut nullo unquam tempore quilibet „episcopus vel quaelibet persona easdem res cuiquam in beneficium „dare, vel in alios usus quocunque modo abstrahere praesumat, „neque aliquem censum vel redhibitionem exinde accipiat, sed to- „tum quidquid ex istis rebus acquiri potuerit, in usum pauperum „atque canonicorum secundum modum praescriptum in privilegio „a se et ceteris episcopis confirmato expendatur. Super hoc quoque „constituto regiae auctoritatis praeceptum fieri atque firmari prae- „cepit.” Quantopere piissimi episcopi praecipue in Germania nostra hoc exemplum imitati fuerint, hospitalia ubivis locorum ab ipsis erecta aperte testantur. En hic! bona ecclesiastica in quatuor partes, prouti hodie adhuc obtinet, divisa. Prima pars et quidem opulentissima reservata pontificibus; secunda concessa clericis, tertia fabricae, quarta pauperibus assignata; sicque pedetentim distri-

butio reddituum ecclesiae a canonibus praecepta in desuetudinem abiisse videtur. Ast si rem accuratius perpendimus, nunquam magis observata, quam cum abolita censebatur. Fundis enim et bonis ecclesiae ita distributis, et clericis et fabricae et pauperibus optime consultum arbitror. Facilior namque, promptior, et omni suspitione vacua reddita fuit bonorum ecclesiasticorum administratio, nec tantopere provocata fuit potentum invidia, cum cernerent bona ecclesiastica ceteroquin sat ampla in tam multas scissa portiones.

§. 26.

*Bona ecclesiarum vacantium contra diversos assultus protegentur.*

Hucusque plerumque qualis administratio sede ut ajunt plena viguerit, locuti, nunc paulisper quid sede vacante obtinuerit, videamus. — Quod superius jam statutum allegavimus de oeconomio, renovatum legimus in conc. Aquisgranensi ann. 816. can. 88., ut scilicet defuncto episcopo oeconomus viduatae ecclesiae curam gerat, sed et his reges ipsos et episcopos ad tuenda bona ecclesiarum viduarum adjunctos fuisse videbimus. Id quod eo magis fuit necessarium, quo liberius nonnunquam Principes, Magnates et clerici ipsi bona haec invadere tentarunt. Hujusmodi usurpationes locum habuisse *Carolus Calvus* ipse fatetur, cum post Hincmari Rhemensis electionem, quidquid ab ista sede alienatum fuit, restitui jussit. Refert hanc constitutionem *Flodoardus lib. II. c. 19.* „No-  
verit fidelium Dei ac nostrorum solertia, quia res ex episcopatu  
Rhemensis, quas magna necessitate et per omnia inviti, dum sedes  
illa vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quoddam temporale  
solatium a nostro haberent servitio, commendavimus, electo et  
ordinato Hincmaro cum integritate, quidquid exinde nos fidelibus  
nostris beneficiavimus, restituimus.”

Ne autem similes abusus denuo irreperent, idem *Carolus Calvus*

in suis *Capit. cap. 8.* sancivit: „Si aliquis episcopus obierit, metropolitani ipsi sedi visitatorem secundum sacros canones deputet, unacum comite ipsam ecclesiam, ne praedetur, custodiat.” Eodem modo Hadrianus II. ecclesiam Laudunensem Hincmaro Rhemensi, cum ejus nepos Romam vocaretur, commendat his verbis: „Episcopatum ejus sanctitati tuae specialiter post regem committimus.” Quid autem ecclesia vacante incumbat principi, quid episcopo, ad amussim delineat Hincmarus Tom. II. p. 178. his verbis: „Sicut episcopus et suas et ecclesiasticas facultates in vita sua dispensandi habet potestatem; ita facultates ecclesiae viduae post mortem episcopi penes oeconomum integrae conservari jubentur futuro successori ejus episcopo. Quoniam res et facultates ecclesiae non in imperatorum et regum potestate sunt ad dispensandum vel invadendum sive diripiendum sed ad defendendum et tuendum; sunt enim sanctuaria et haereditas Domini. —

Sanctionibus his omnem bona ecclesiae diripiendi libidinem quis non eliminatam penitus putaret? Verum constitutiones istae haud impedire potuerunt, quo minus ecclesiae viduae bonis suis diversimode exuerentur. Quam ob rem nonnullae peculiaribus privilegiis sibi consulere meditabantur. Tale privilegium *Hincmarus l. c. p. 817.* a *Carolo Calvo* et episcopis quatuor provinciarum pro ecclesia *Bellvacensi* subscriptum affert hujus tenoris: „Ut nulla secularis potestas de rebus episcopii *Bellvacensis* ecclesiae praesumat.” Plura adhuc loca huc pertinentia afferre possem, sed brevitatis causa praetereo. Querelam vero supersedere non possum *Hincmari supra laudati l. c. p. 832.*, qua deplorat, quod principes ideo electionem episcoporum differunt, ac chorepiscopos functiones episcopales obire jubent, ut eo liberius de bonis ecclesiae disponere possint. Haec sunt illius verba: „Quod terrena potestas hac materia saepe offenderet, ut episcopo quolibet defuncto per chorepiscopum solis pon-

„tificialibus debitum ministerium perageretur, et res ac facultates  
„ecclesiae secularibus usibus expenderentur.”

§. 27.

*C o n t i n u a t i o .*

Sicuti pro bonis ecclesiarum cathedralium vacantium reges et  
episcopi constituti sunt tutores, ita et ecclesiis parochialibus pres-  
bytero orbatis comites dati sunt defensores; qui tamen nonnunquam  
ex defensoribus facti sunt ecclesiarum deprædatores. Expertus id  
est *Hincmarus* in sua dioecesi, in qua comes *Theodulphus* post obi-  
tum parochi omnia illius ecclesiae bona diripuit. Rem *Flodoardus*  
his describit verbis: „Defuncto presbytero abstulerat, quae idem  
„presbyter in eleemosynam dari praeceperat, et insuper usurpave-  
„rat, quae ad ipsam ecclesiam rite relicta fuerant. Quare ei man-  
„dat (*Hincmarus*) ut juxta sacras auctoritates et regum praecepta,  
„quidquid de facultatibus ipsius ecclesiae acceperat, praesentialiter  
„reddat, et presbyteris, quibus res commendatae fuerant, restituat.”  
Ex ultimis verbis colligere licet, parochias vacantes presbyteris vel  
in loco vel in vicinia degentibus tempore vacaturae fuisse com-  
missas.

Porro et nobiles ex titulo servitutis illo aevo nonnunquam res  
defunctorum presbyterorum sibi arrogasse ex *Regino lib. II. c. 39.*  
discimus, cum allegat canonem *conc. Triburensis* his verbis: „Per-  
„latum est quoque ad sanctam synodum, quod quidam laici im-  
„probe agant contra presbyteros suos, ita ut de morientium pres-  
„byterorum substantia partes sibi vindicent, sicut de propriis ser-  
„vis. Interdicimus itaque, ne hoc ulterius fiat, sed sicut liberi facti  
„sunt ad suscipiendum gradum et agendum divinum officium, ita  
„ex eis nihil exigatur praeter Dei officium.”

Tandem et Archipresbyteros seu decanos rurales, quibus vacantium ecclesiarum cura plerumque ab episcopis demandata est, ad depraedanda bona fuisse allectos testatur *concilium Papiense ann. 855.* discernens: „Tollenda est prava omnino consuetudo, quae „in quibusdam locis oriri caepit, quia nonnulli Archipresbyteri vel „aliorum titulorum custodes fruges vel alios ecclesiarum redditus „ad proprias domos abducunt. Nonnulli autem laicorum in tantum „eorum nequitiae se complices faciant, ut quae huiusmodi transgressores ab ecclesia surripuerunt, ipsi in suis domibus abscondant.

§. 28.

*Ratio administrandi bona ecclesiastica magis stabilita.*

Ratio bona ecclesiastica administrandi superius praecipue §. 25. relata et partim consuetudine partim conciliorum decretis introducta ab omnibus ita fuit recepta, ut seculo XI. licet ecclesia variis fuerit agitata procellis, perpaucas querelas hac de re motas legamus. Seculo autem XII. cum Decretum Gratiani auctoritatem adipisci caepit, haec disciplina indies magis invaluit, roborataque ita per decretales Alexandri III. et Innocentii III. etc. ut firmissimas jamjam egerit radices, atque usque ad nostra tempora transierit. Nihil itaque ostendendum superest, quam quaenam mutationes vel tentatae vel reipsa factae fuerint tum ratione episcopatum, quam ratione ceterorum beneficiorum; nec non quid et Rom. Pontifices et episcopi moliti sint ad semel introductam disciplinam illibate conservandam <sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Quam alte ista principia insederint inclytæ nationi Germanicæ, colligi potest ex articulis Germanicæ nationis concilio Constantiensi pro reformatione exhibitis, in quibus postularunt, *ut proventus ecclesiarum vacantium ecclesiis et successoribus conserventur.* Schmidts Geschichte der Deutschen. IV. Th. S. 112.

*Jus Regaliae et spolia introductum sed in Germania postea abolitum.*

Cum Episcopi plures easque amplissimas imperatoribus et principibus in acceptis referrent ditiones, simulque in transactione inter *Heinricum V. et Calixtum II. ann. 1122. Wormatiae inita*, expresse declararetur, *episcopos electos regalia et feuda per sceptrum ab imperatore obtinere debere*; ex hac forte clausula atque ex principiis juris feudalis, quod tunc temporis quam maxime excoli caepit, ad exemplum regum Galliae et Hispaniae *jus regaliae* sibi derivabant imperatores, vi cujus vacantium praelaturarum ceu feudorum apertorum fructus ac proventus ex jure domini directi eo usque vindicabant, donec novus praelatus ejus ecclesiae possessiones adiret. Quae aditio cum saepe impedita et in longum dilata fuisset, summopere exinde afflicta est ecclesia. Quam ob rem nullum non movebant Rom. Pontifices lapidem, ut principes huic usui renuntiarent. Promisit hoc Otto IV. praestitit reapse *Fridericus II. in aurea Bulla de libert eccl. ann. 1213.*

*Introductae animatae ab episcopis dein a R. Pontificibus.*

Episcopi haud obliti, beneficia minora ab ecclesia cathedrali tanquam stipite esse avulsa, illorum bona ceu rivulos post obitum ad eam ceu fontem remeare debere autumabant. Quare ex ditionis suae beneficiis primi anni fructus diversis ex causis, v. g. ob impensam operam, ad debita expungenda; vel ad subveniendum ecclesiae matri vel ad alias pias causas, exigere caeperunt. Aegre id tulisse ecclesias minores, atque querelas ad sedem Romanam motas esse, ex rescripto *Alexandri III. ad archiepiscopum Cantuariensem ann. 1156. facile divinari licet*<sup>1)</sup>: „*Fraternitati vestrae mandamus,*

<sup>1)</sup> De officio jud. ord. c. 4.

„quatenus si quando in vacantibus ecclesiis, in quibus ecclesiastica  
 „persona praesentationem non habet, vel quia personae minus ido-  
 „neae praesentantur, vel alia de causa, de jure personas in eis  
 „instituire non potueritis: appellatione remota *ponatis oeconomos,*  
 „*qui debeant fructus percipere, et eos aut in ecclesiarum utilitatem ex-*  
 „*pendere, aut futuris personis fideliter reservare.*”

Ast episcopi hoc decreto absterriti, alia via sibi consulebant. Implorantes enim R. Pontificem, rescripto pontificio muniti annatas sine impedimento ex omnibus beneficiis collegere. Sic *Honorius III.* ann. 1223. *episcopo Tolen*, duas annatas omnium beneficiorum in ea dioecesi vacantium ad aes alienum diluendum indulisit. Sic enim rescribit <sup>1)</sup>. „Tua Fraternitas nobis intimavit, quod cum tibi pro  
 „revelatione oneris debitorum duxerimus indulgendum, ut fructus  
 „beneficiorum, quae interim in dioecesi tua vacare contigerit, tibi  
 „liceat biennio retinere: quidam apostolicae gratiae privilegium  
 „sinistra interpretatione restringere molientes, asserunt, praebendas  
 „et majora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri:  
 „Nos igitur auctoritate praesentium declaramus, quod in hoc casu  
 „praebendae ac alia beneficia generali beneficiorum nomine conti-  
 „nentur.” Pari modo *Bonifacius VIII.* alii episcopo hujusmodi facultatem ad quinquennium indulisit. *Vid. de Rescript. C. X. in 6to.*

Verum cum anno 1305. *Clemens V.* crebrioribus episcoporum Angliae annatas sibi deposcentium precibus fatigaretur; ut curiae suae in Gallia commoranti subveniret, pro suprema, qua gaudebat juxta illius temporis placita, in singula beneficia potestate, per biennium omnes proventus primi anni de singulis beneficiis sibi in Anglia reservavit. — Ulterius dein progressus *Joannes XXII.* ann. 1319. fructus primi anni *ex omnibus beneficiis non electivis*, quae

<sup>1)</sup> de V. S. c. 32.

intra triennium vacarent, sibi adscripsit, prouti legi potest in *Extravag. comm. de Praebendis cap. XI*. Demum *Bonifacius IX.* annatas ad majora etiam beneficia extendit, et exacta dimidia primi anni fructuum parte eas esse perpetuas voluit. Quantae vero querelae in conc. Constantiensi, Basiliensi atque in diversis imperii comitiis contra annatas motae, quam ratione modificatae sint, cuius in historia ecclesiastica vel obiter versato notum est. Interim ideo in historia annatarum brevior me esse licuit, quia in administratione bonorum ecclesiasticorum (de qua in praesenti quam maxime agitur) nihil proprie est immutatum; sed tantum fructus primi anni a novo possessore beneficii Romanae sedi erant exsolvendi.

§. 31.

*Decretum conc. Tridentini ac Statuta dioecesana de administratione b. e.*

Ut disciplina de administrandis bonis ecclesiasticis per decreta et consuetudinem introducta et libris decretalium stabilita intacta permaneret, ecclesiae antistites quam solertissime continuo invigilarunt <sup>1)</sup>. Quare *Concilium Tridentinum Sess. XXII. de Reform. Cap. 9.* decrevit: „Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cu- „jusvis ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis — —

<sup>1)</sup> Non tantum in ecclesia latina sed et in Graeca hanc disciplinam vigere, testis est *Alatius lib. III. cap. 8. de officiis et dignitatibus in ecclesia Constantinopolitana etc.* agens, ubi inter alios officiales *magnum oeconomum* recenset, de quo ait: Redituum et expensarum episcopalium rationem habet, nec non suppellectilis et possessionum curam gerit, bis in anno rationem administrationis reddens. Mortuo episcopo, quoad alius suffectus fuerit, episcopatus res omnes administrat. — Quis denique hanc disciplinam ad plerasque ecclesias quoque protestanticas ob aequitatis rationem migrasse seu potius retentam fuisse ignorat?



„singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscunque in contrarium sublati: nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset.” „Quodsi ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset; tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius; et aliter factae liberationes dictis administrationibus minime suffragentur.” Quam studiose episcopi statim post concilium Tridentinum haec decreta exequi adlaboraverint, manifeste pandunt *Constitutiones et decreta synodalia civitatis et dioecesis Constantiensis in ecclesia cathedrali Constantiensi Kalendis Septembris etc. anno MDLXVII. statuta, edita a D. Marco Sitico S. R. E. tit. S. Georgii in Velabro Presbytero Cardinale episcopo Constantiensi. Titulo enim XIII. de rebus ecclesiarum diligenter curandis iisque non alienandis, sapientissimae occurrunt regulae, et cap. V. praecipitur, ut omnes ecclesiarum et beneficiorum praedia, jura et redditus in inventarium redigantur, atque literae originales in publica custodia conserventur. Lectu porro dignum est Cap. I. Tit. XII. de procuratoribus fabricarum. Eadem occurrunt in synodo augustana eodem anno celebrata cap. XI et XII.*

§. 32.

*Mutatio facta ratione fructuum intercalarium per leges austriacas etc.*

Licet, prouti supra dictum, juxta canones fructus vacantis ecclesiae successorii servandi essent in ecclesiae utilitatem aliosque pios usus impendendi; *Augustissima* tamen *Imperatrix Theresia* edocta, ab ipsis consistoriis fructus intermedios in suos saepe usus contra canones converti, aliosque abusus irrepsisse, ex titulo advocatae 3. Febr. 1771. decrevit, ut fructus intercalares ad utilitatem ecclesiae et pauperum impendantur. Restaurata eadem lex 4. Apr. 1777.

cum hac tamen modificatione, ut subtractis expensis pro ministerio sacro peragendo fructus intermedii ad dotem seu fundum pro scholis constituendum adhibeantur. Tandem 28. Oct. 1783. *Josephus II.* eos sic dicto *Fundo religionis* adjiciendos decrevit; cujus exemplum plerique Germaniae principes usque ad hodiernum diem sequuntur.

Finito publico disputationis actu juxta unanime senatusconsultum solenniter laurea theologi doctoratus exornabitur perillustris, plurimum Reverendus atque Clarissimus Dominus JOSEPHUS DE METS, ordinis civilis bene merentium eques, Reverendissimo vicariatu generali, qui est Elvaci, a consiliis, egregia mentis indole ornatus, eruditionis laude ac literariis elucubrationibus perinsignis, multiplici praeclaroque munere in ecclesia Dei naviter functus, et promovendo hujus bono semper intentus.

---

## THESES SELECTAE.

---

### I.

**E**ccllesiae Christianae bona mobilia et immobilia sibi acquirere possunt.

### II.

Ne tamen ex affluentius ecclesiae acquisitis bonis respublica detrimentum patiatur, principi competit **Jus cavendi.**

### III.

Bona cuivis ecclesiae justo titulo acquisita in privato ipsius sunt dominio.

## IV.

Subsunt tamen et dominio alto principis.

## V.

Administratio bonorum ecclesiasticorum est penes rectores ecclesiae.

## VI.

Supremam inspectionem in ipsam administrationem sibi vindicat princeps.

